



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Precationis formulae legionibus à Constantino datae. Cap. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

Quemadmodum etiam legiones gentiles in dominicis precari mandauerit.

CAP. XIX.

Cumq; hunc salutarem diem, quem lucis vel solis diem appellamus, vniuersum exercitum omni studio colere docuisset: hiis qui diuino instinctu fidem sequuti erant, ocium fecit, vt libere possint ecclesiam Dei frequentare: quò sine vllò impedimento preces Deo persolueret: Sed aliis qui nondum diuinam degustarant doctrinam, alia quadam lege mandauit, vt Dominicis diebus in patentes suburbiorum campos exirent: atque vt ibi eadem precationis forma, dato ab vno aliquo signo, omnes simul ad Deum vterentur. Non enim oportere aiebat hastis vti: & rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere: sed vniuersitatis Deum rerum omnium bonarum & ipsius victoriæ authorem agnoscere. Cui oporteret panis in cælum manibus: & sublatis altissimè ad cælestem regem mentis oculis constitutas preces reddere: & illum victoriæ largitorem, & conseruatorem, custodem, nobis adiutoremque precibus imploremus. Formulam vero precandi ipse omnibus militibus præscripsit: mandauitq; vt Romana lingua ita omnes precarentur.

Precationis formulæ legionibus à Constantino data.

CAP. XX.

TE solum Deum agnoscimus: te Regem profitemur: te adiutorem inuocamus: per te victorias consequuti sumus: per te hostes superauimus: abs te & præsentem felicitatem cõsequutos fatemur, & futuram adepturos speramus: tui omnes supplices sumus: abs te petimus, vt Constantinum imperatorem nostrum vna cum piis eius liberis, quàm diutissime nobis saluum & victorem conserues. Eiusmodi ferè sanciebat à militibus, solis die fieri, talesque ab eis voces in diuinis precibus adhiberi.

Legionum arma consignata signaculo crucis

Seruatoris. CAP. XXI.

Præterea etiam in ipsis armis salutaris trophæi signum insculpi armatoque exercitui præferri fecit: & vt solum hoc